



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sponsalia Et Matrimonium

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus XXI. De secundis Nuptijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

terij uti posse; ipsam verò adulteram ad eam tradendam, vel Donationem propter nuptias restituendam ante Sententiam Judicis in conscientia non obligari Ita Host. in c. porro 3, de Divort. n. 3. Abb. in c. 4. hoc tit. n. 4. Alex. de Nevo ibid. n. 6. Sylv. V. adulterium q. 6. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 6. n. 1. Sanch. l. 10. de Matr. Disp. 8. n. 13. Laym. l. 3. tract. 4. c. 13. n. 7. Barbof. in c. 4. cit. n. 12. Engl. n. 15. hoc tit. §. sciendum 14. Pirhing n. 39. not. 6. Wiestner n. 58. Reiffenstuel n. 105. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 4. n. 74.

121 Primum non obscure insinuari videtur c. plerumque cit. juxta quod uxor, que post fornicationem judicio Ecclesie, aut propria voluntate recessit (aut cum de illa notorie constaret, expulsa est) à viro Dotem repetere non valet. Secundi ratio est; quia amissio Dotis est poena, ad quam ante Sententiam Judicis exsolvendam in conscientia obligatio non datur arg. cum secundum 19. de Heret. in 6.

122 Queritur 13. an Dos &c. semel amissa recuperetur, si conjuges post sententiam Divortij, & privationis reconcilientur? Certum est, non recuperari casu,

quo reconciliationi adjicitur Pactum, ut Jus, ex adulterio innocenti quæsitum, saluum relinquatur, Engl. n. 15. §. sed quid, Wiestner n. 59. Reiffenstuel n. 107.

Difficultas est, quando facta est reconciliatio sine ejusmodi pacto. Et videtur respondendum negativè, quòd per Sententiam Dos pleno Jure transferit ad maritum, reconciliatio autem facta censi potest quoad solum thorum, & mutuum cohabitationem.

Sed verisimilius est recuperari, pro-¹²³ ut docent Alex. de Nevo in c. plerumque 4. hoc tit. n. 6. Angel. V. adulterium n. 3. Sylv. V. eod. q. 6. Sanchez l. 10. de Matr. Disp. 8. n. 21. Barbof. in c. 4. cit. n. 12. §. 14. Engl. n. 15. §. sed quid, Wiestner hic n. 60. Reiffenstuel n. 107. ibid. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matrim. c. 4. n. 76. & colligi videtur ex c. plerumque cit. ubi ab ejus amissione excipitur reconciliatio, nec distinguitur, an ista ante, vel post Sententiam facta sit. Ratio est, quia reconciliatio, cum sit liberatio à poena, est favorabilis; conf. operari videtur restitutionem in statum pristinum.

TITULUS XXI.

De Secundis Nuptijs.

Primis nuptijs dissolutis, transitur plerumque ad secundas: hinc postquam de Matrimonio primo, & illud comitantibus hucusque dictum, meritò sequitur de

Secundis nuptijs. Inrelliguntur autem nomine *Secundarum Nuptiarum* non tantum illæ, quæ primas immediatè sequuntur, sed etiam tertiæ, quartæ, & deinceps.

§. I.

De Valore, & Licentia Nuptiarum Secundarum.

S U M M A R I U M.

- 1, 2, 3. *Secundæ Nuptiæ sunt honestæ, & Sacramentum.*
4. &c. *Ut ad istas transire liceat, de obitu mariti constare debet certitudo ãne morali.*
10. 11. 12. *Quando censi debeat, moraliter certum esse obitum conjugis, ut nuptias secundas contrahere superstiti liceat?*
13. 14. 15. 16. *An mortem moraliter certam faciat testimonium unius?*
17. 18. *An famâ sufficienter probetur?*
19. 20. *Quomodo se gerere debeat Parochus, quando ab ipso petitur, ut assistat secundis Nuptijs?*

21. 22. 23. 24. *An uti Matrimonio liceat, quod contractum est sine morali certitudine, & cum dubio de obitu prioris conjugis?*
25. 26. 27. 28. 29. *Quid dicendum, si dubium Matrimonio, bona fide contracto, superveniat?*
30. 31. *Quid faciendum conjugis, qui secundas nuptias iniit bona quidem fide, sed postea rescit, suum, vel alterius conjugem adhuc vivere, aut vixisse tempore contracti secundi Matrimonij?*

1 Queritur 1. an secundæ Nuptiæ sint honestæ, & Sacramentum? Montanus, Cataphrygæ, & Novitiani Heretici damnarunt secundas, & ulteriores nuptias, etiam prioribus morte alterius conjugis dissolutis: in quo errore etiam fuit Ter-
R. P. Schmalzgrueber L. IV.

tullianus l. de Monogam. teste S. Aug. l. de Heresib. c. 86. alij putarunt saltem illas non esse Sacramentum, ex sequentibus fundamentis. Nam. 1. can. hac ratione 9. caus. 31. q. 1. relatus S. Chrysostomus ait, quòd conjugem secundam accipere secundum veritatis ratio-
P P P 2

rationem verè fornicatio fit. 2. Concilium Neocaesarensis, relatum *can. de his 8. q. cit.* ineuntibus secundum Matrimonium imponit poenitentiam. 3. Ecclesia binubos repellit à susceptione Ordinum, ut constat ex *toto tit. de Bigamis*; & ipsdem negat Benedictionem, ut *infra* videbimus: quod iniquum foret, si Nuptia secundæ forent licita. 4. ex non perfectè significant conjunctionem Christi cum Ecclesia; & ideo defectu Sacramenti inducunt Bigamiam, & debitum 5. de Bigam. non ergo sunt Sacramentum. 5. Leges Civiles binubentibus diversas statuunt poenas. igitur Ethnici illarum auctores agnovissent luminis naturalis ductu, nuptias ejusmodi esse abominabiles.

2. Sed est Catholica Veritas, Christianis permittas esse non tantum secundas, sed etiam tertias, quartas, & ultiores nuptias, modo prius Matrimonium quoad vinculum rite sit dissolutum. Patet 1. ex Apostolo 1. Corinth. 7. v. 39. ubi de muliere, *si dormierit*, inquit, *vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Et 1. Timoth. 5. loquens de Viduis Voto Castitatis minime adstrictis, ait, *Volo juniores nubere.* 2. ex Concil. Nicen. *can. 8.* Carthag. 4. *can. 11.* & Florent. in Armenorum instructione, à quibus secundæ nuptiæ aperte approbantur. 3. ex *can. aperiunt 11. caus. 31. q. 7.* ubi S. Hieronymus, *Libera*, ait, *voce proclamo, non damnari in Ecclesia Bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere.* 4. ex antiqua, & universali Ecclesiæ consuetudine. Exemplum ex Hieron. ad Gerontiam refert Menoch. *de arbit. cas. 17. n. 5.* de una muliere, quæ tempore Damasi Pont. successivè viginti duobus viris, quorum ultimus & ipse viginti uxores sepelierat, nupsit, & ex ratione; quia dissolutum per mortem vinculo prioris Matrimonij, nihil est, quod secundum impediatur.

3. Neque obstant Argumenta contraria. Ad 1. ille Canon sumptus est ex Authore operis imperfecti, non ex Chrysostomo, qui, ut annotatio Gregoriana advertit, *longè cautius loquitur*: vel dic cum Glossa, Canonem hunc loqui juxta sensum antiquæ Legis, quæ nova conjugia permittebantur post datum Libellum Repudij: quæ Lex, cum à Christo correctæ fuerit, mirum non est, quòd tale conjugium fornicatio appelletur. Ad 2. imprimis Concilium illud fuit solum particulare: deinde poenitentia ibi dictata est non propter nuptias secundum se, sed propter inordinatum affectum, & concupiscentiam binubentium. Ad 3. Irregularitas Bigamiæ inducta fuit, non quòd secundæ nuptiæ improbantur, aut à vera Sacramenti ratione deficiant; sed quia non ita perfectè repræsentant conjunctionem Christi cum Ecclesia: & ob hanc causam etiam Benedictio ipsdem non datur. Ad 4. non

est de essentia Sacramenti, ut perfectè significet unitatem unici Sponsi cum unica Sponsa; nam certum est, posse contrahi Matrimonium cum desolata ab alio, quamvis tale Matrimonium perfectionem hanc significationis non habeat. Ad 5. Poena illa, ut *infra* dicam, per Jus Canonicum sublata sunt, tanquam contra bonos mores, & debitam Matrimonij libertatem.

Quæritur 2. quomodo constare debeat de obitu mariti, ut uxor ad nuptias secundas transire possit? Host. in c. in presentia 19. de Sponsal. fin. Ant. de Butrio *ibid. n. 7.* Ancharan. n. 7. Rosell. V. *Impedimentum imped. 11. n. 1.* & 3. Sylv. V. *Matrimonium 8. q. 13. dist. 2. §. 4.* & alij apud Sanchez, l. 2. de Matr. D. 46. n. 5. putant non majorem certitudinem exigi, quàm ut conjux e. g. uxor, ad secunda Vota transfutura, habeat probabilem causam credendi mortem mariti. Fundantur 1. *can. cum per bellicam 1. caus. 34. q. 1.* ubi à culpa exculatur contrahens cum muliere, cujus maritus jam non esse existimabatur. 2. c. fin. §. porro lit. non contest. cujus palmaris textus est: *Tandiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter, i. e. probabiliter presumatur.* 3. ratione; quia operans juxta opinionem probabilem prudenter operari existimatur.

Sed dicendum, ad hoc, ut transire ad nuptias secundas liceat, exigi certitudinem moralem. Ita Gloss. in c. in presentia cit. in fin. Abb. *ibid. n. 6.* Alex. de Nevo n. 22. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 3. n. 3. Ant. Cucch. l. 5. Inst. major. tit. 12. n. 231. Gutier. l. 2. pract. q. 8. n. 4. & seqq. Sanchez, l. 2. de Matr. Disp. 46. n. 6. Palao tract. 28. Disp. 4. p. 13. §. 1. n. 1. & duob. seqq. Bolco Disp. 12. sect. 12. concl. 2. n. 22. Camil. in c. Dominus 2. hoc tit. n. 1. Engl. tit. de Spons. duor. n. 5. Zee. hic n. 4. Pirhing hic n. 2. Schambog. n. 3. König n. 3. v. *Causa efficiens proxima*, Wiestner n. 6. Reiffenituel n. 7. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 4. n. 134. ob claros textus c. in presentia cit. ubi certus nuntius exigitur de morte conjugis, & c. Dominus cit. ubi Lucius III. super hac re consultus, Christianis, in captivitate Saracenorum positus, rescribens, *Id vobis, inquit, respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare presumat, donec ei constet, videlicet per certum nuntium juxta Gloss. ibid. P. constet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.*

Ratio est, quia novi Matrimonij contractus cedit in præjudicium prioris conjugis, si forte superstes sit, qui proinde jure suo in casu dubio spoliari non debet. Accedit, quia præsumendum est vivere, dum contrarium probatum non fuerit l. fin. c. de SS. Eccl. ut adeo illa, quæ solum præstant probabile judicium de morte conjugis, insufficientia sint, ut conjux, fortè ad

adhuc superstes, suo jure, & possessione spoliatur.

7 *Proceditque hoc* 1. quantocumque tempore conjux alter abfuerit; nam ob solam absentiam conjugis, quamvis diuturnam, non dissolvitur Matrimonium: sed necesse est, ut per certum nuntium de morte conjugis prioris constet. Barbof. in c. 2. hoc tit. n. 4. Zæf. hic n. 4. Pirhing, n. 3. not. 3. Reiffenstuel hic n. 7. & patet ex c. in presentia cit. quo corrigitur l. uxores 6. ff. de Divort. quæ dubitanti de morte conjugis absentis licentiam concedit nubendi post quinquennium expectatum, vel post quadriennium, ut habet l. uxor 7. C. de Repudijs.

Procedit 2. non tantum de secundis Nuptijs contrahendis autoritate, & judicio Ecclesiæ, sed etiam de contrahendis autoritate propria; nam utroque casu requiritur certitudo saltem moralis, ut probant Argumenta, & textus n. 5. & 6. allati. Habita autem ista certitudine, conjux superstes convolare ad secundas nuptias poterit quando voluerit, etiam intra annum luctus, i. e. intra annum à morte conjugis prioris elapsam; quia Juris Civilis dispositio l. siquæ mulier 1. C. b. tit. prohibens sub pœna infamiz secundas nuptias ante annum luctus à Jure Canonico correctæ est c. super illa 4. hoc tit. ibi Super illa questione, quæ questum est, an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus, secundum Leges definitum, respondemus, quod cum Apostolus dicat, Mulier, viro suo mortuo, soluta est à lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit, per licentiam, & auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur.

Argumenta, in contrarium allata, facile dissolvi possunt. Ad 1. textus ille, ut eundem Barbof. ibid. n. 4. & Sanch. n. 9. explicant, intelligendus est de exultatione moris, quæ habetur per certum nuntium, aut alias probationes æquivalentes. Ad 2. ibi agitur de casu, quo dissolvendum est Matrimonium ob Impedimentum dirimens, & statuitur, ut sententiâ super nullitate illius lata, antequam alias nuptias conjux præfens contrahat, expectet tamdiu, donec verisimiliter cognoscat, conjugem, cum quo contractum Matrimonium nullum fuisse est declaratum, fuisse mortuum, ne si adhuc vivat, & postea compareat, Exceptionis defensio ei præcludatur. Ad 3. hic agitur de valore Sacramenti, & maximo præjudicio alterius conjugis, quibus casibus oportet sectari sententiam moraliter certam.

Quæritur 3. quando censeri debeat, moraliter certum esse, quod conjux absens è vivis excefferit, ut nuptias secundas contrahere superstiti liceat? R. id judicabit Judex Ecclesiasticus Ordinarius ex sequentibus.

1. Si de ejus obitu legitimus Magistratus Ecclesiasticus, Politicus, Militaris, vel Notarius, aut alia similis persona, in pub-

lica autoritate constituta, fidem faciat per Scripturam. Wiestner hic n. 7. Reiffenstuel n. 11. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 4 n. 138.

2. Si Parochus testetur, quod ipse eundem sepelierit; quia in ejusmodi negotijs est quasi Notarius publicus: & hinc ejus Liber de Baptismo, ætate, nuptijs &c. plenam fidem facit. König hic n. 3. v. causa efficiens proxima, Wiestner n. 8. Reiffenstuel n. 10. Schmier n. 138. cit.

3. Si de obitu ejus deponant duo testes de visu, & attestentur, se interfuisse illius morti, sepulturæ, exequijs, aut vidisse ipsius sepulchrum, vel consanguineos pulla veste indutos, & audijisse talem maritum lugeri; quia generaliter duo testes sufficient ad faciendam fidem plenam l. ubi numerus 12. ff. de Testib. Gobat. Theol. Exper. tr. 9. n. 312. König v. cit. Wiestner n. 9. Reiffenstuel n. 12. Schmier n. 138. Admittuntur autem hoc casu etiam consanguinei, ut post Joan. Andr. & Mascardum rectè advertit Reiffenstuel n. 13. quia consanguinei plerumque magis præsumuntur scire mortem sibi conjunctorum, quam alij. Uxor tamen est insufficientis testis ad probandam mortem conjugis; quia in propria causa nemo idoneus testis esse censetur l. nullus 10. ff. de testib. & l. omnibus 10. C. eod. est autem hæc causa propria uxoris, cum ejus emolumentum, & damnus concernat Matrimonij contractus cum alio. Gobat n. 310. König v. cit. Reiffenstuel n. 13. cit.

4. Si cum uno teste de visu, aut cum fama, vel pluribus testibus de auditu, concurrant alia verisimilia mortis indicia, vel conjecturæ; v. g. quod maritus jam senex, aut æger, cum posset, & fortassis promississet non redierit; quod secutus bellum, periculosam navigationem ingressus, aut in loco, ubi pestis grassabatur, moratus, ubi plures perijsse constat, diu non comparuerit; quod testes de fama asserant, id auditum a majore, vel digniore parte civitatis, oppidi, legionis. Hieron. Pravidell. tr. de Peste S. unum, quod hic à n. 1. Engl. de Spons. duor. n. 5. Gobat, n. 312. König n. 3. fin. Wiestner n. 10. Reiffenstuel n. 14. Schmier n. 138. cit.

Quæritur 4. an mortem moraliter certam faciat testimonium unius? Affirmant Hofst. in c. in presentia 19 de Sponsal. fin. Abb. ibid. n. 6. Angel. V. Matrimonium 3. Imped. 13. n. 4. Veracru. Specul. p. 1. art. 41. concl. 1. Farin. prax. q. 140. n. 73. ob textum c. in presentia cit. ubi plus non exigat Pontifex, quam nuntium certum, quem unius testis depositione jurata haberi volunt. Contra Bartol. in l. tabularum 2. §. si dubitetur 4. ff. quemad. Testam. aper. n. 1. Sanch. D. 46. cit. n. 12. Zæf. hic n. 5. cum alijs negant id sufficere, quod vox unius sit vox nullius c. veniens 10. in fin. & l. Jurisjurandi 9. C. de testib.

14 Concordari Sententia utraque potest, si dicatur, unius quidem, etiam fide digni hominis testimonio mortem sufficienter non probari, eam tamen moraliter certam effici, quando cum ejus depositione concurrunt circumstantiæ, vel conjecturæ aliquæ ex enarratis, vel aliæ similes, & de his legitime constat, Gutier de Matrim. c. 51. n. 2. Gobat. tr. 9. n. 320. Engl de Sponsal. duor. n. 5. Schambog. hic n. 3. Reiffenstuel ibid. n. 15. Wiestner n. 11. § duob. seqq.

15 Excipit Sanch. n. 12. casum, quo conjugis obitus accidisse dicitur in loco valde distantate, ut certa ejus probatio omnino, aut facile haberi nequeat; tunc enim putat sufficere depositionem juratam unius fidei probatæ testis, ut alteri conjugi permittatur transitus ad secunda Vota, ex principio generali, quod cum plenæ, & integræ probationes haberi non possunt, sufficiant, quæ sumuntur ex conjecturis l. non omnes 5. §. à barbaris 6. ff. de re militar. ibi, Sed licet hoc liquidò constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est.

16 Ad c. in presentia allegatum dico, vocem Nuntium non sumendam in masculino, sed in neutro, ut idem sit, ac certam relationem, quam unius testis depositio nequaquam facit. Deinde esto, quod Vox Nuntius certus sumatur in c. cit. masculinè, adhuc tamen contra assertionem nostram nihil probatur; nam nuntius certus est, qui nuntium certum affert. non potest autem dici afferre nuntium certum, qui solus de re testatur.

17 Quæritur 5. an famâ probetur mors ad effectum contrahendi secundas nuptias? Affirmant Ancharan. in c. in presentia cit. n. 5. Clar. §. fornicatio 7. penult. & alij apud Sanch. l. 2. de Matr. D. 46. n. 14. Sed dicendum, nec solam famam de morte alterius sufficere, nisi simul concurrant alia adminicula, & præsumptiones, vel conjecturæ vehementes de alterius morte: tales sunt, si fama est universalis in loco, ubi conjux morabatur, mortem ejus contestans, si concurrat diuturnitas absentiæ, si mors contigit in loco remoto, ita, ut aliæ probationes difficulter inveniri possint, si vir pugnavit in acie, & uxor accepit litteras ab ijs, cum quibus is militavit, si captus fuit ab hostibus, & communis fama testatur ipsum obijisse, & diu uxor nihil contrarium audijt &c. Sanch. D. cit. n. 15. Palao tr. 28. Disp. 4. p. 13. §. 1. n. 8. Zœl. hic n. 6. Schambog n. 3. nam hujusmodi concurrentiæ moralem excludunt dubitationem.

Debet tamen hoc casu fama, ut cum 18 adminiculis hujusmodi probetur per eam mors conjugis, etiam ipsa esse plenè, & verè probata: ad quod sequentes conditiones requiruntur juxta Sanch. n. 16. & alios. 1. ut probetur per duos testes, eosque omni exceptione majores, qui deponant se au-

divisse à fide dignis. 2. ut concurrat causa rationalis, ex qua fama orta est, ut si is, de cujus morte agitur, mare navigavit, subortaque tempestate expectatus tempore congruo, & per loca verisimilia quæsitus non comparuit, nec navis, quæ vehebatur; vel si prælium aggressus est; & postea diligenter quæsitus non est, inventus &c. quia fama originem trahere à rationabilibus causis debet; aliàs attendi non debet. 3. ut testes deponant, se audivisse publicè à majore parte populi, in quo in ordine ad probationem famæ considerari non debent pueri, fæminæ, aut aliæ fidei non satis constantis personæ, sed viri probi, & graves, nisi eadem fama confirmaretur ex conjecturis alijs probabiliibus; tunc enim non esset opus eam oriri à fide dignis.

Quæritur 6. quomodo gerere se de 19 beat Parochus, quando ab ipso petitur, ut assistat secundis Nuptijs? 20. distinguendo: Vel enim habetur certitudo moralis de morte conjugis, vel contra Parochus, aut contrahere volentes dubitant, an adsit sufficiens hujusmodi certitudo. Si primum, potest Parochus, nullâ petitâ licentiâ Ordinarij, & absque illius præscitu Matrimonio novo assistere, eoque novos conjuges licitè copulare. Gutier. l. 2. præf. q. 8. n. 9. Rodriq. Sum. p. 1. c. 233. concl. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 3. Palao tr. 28. D. 4. p. 13. §. 1. n. 4. Bosco D. 12. sect. 12. concl. 2. à n. 27. Reiffenst. hic n. 19. quia tali casu Jus ipsum facultatem nubendi tribuit, igitur ab homine illam petere non est necesse. Accedit, quia eum qui jam certus est, certiorari alterius non oportet, ut dicitur, Reg. eum qui 31. in 6.

Si Secundum, Parochus Ordinarium 20 debet consulere, ejusque responsum expectare, utpote ad quem in dubio pertinet judicare, an adsit sufficiens certitudo de morte conjugis, nec ne. Schambog. hic n. 4. Reiffenstuel ibid. n. 20. Quodsi ipse etiam Ordinarius dubitat de certitudine morali, aut probabilem tantum præsumptionem adesse judicat, non tamen sine timore de opposito, eò quod probationes v. g. non ulque adeo perfectæ videantur, potest, & solet conjugij deferre Juramentum, quod non sciat, nec credat conjugem amplius esse in vivis. Reiffenstuel n. 21.

Quæritur 7. an uti Matrimonio li- 21 ceat, quod contractum est sine morali certitudine, & cum dubio de obitu prioris conjugis? 22. distinguendo: Vel enim dubium illud est solum leve, vel contra rationabile. Si primum, & ita dubitans post adhibitam moralem diligentiam verisimile, & probabile indicium, quod conjux prioris Matrimonij adhuc superstes sit, reperire non potuit, reddere, & petere debitum à novo conjugate potest c. inquisitioni 44. §. in secundo, de sent. Excomm. Engl de Sponsal. duor. n. 6.

¶ *secundum*, videndum, an unus cum dubio rationabili de obitu conjugis prioris contraxerit an uterque. Si *uterque*, neuter debitum reddere, aut petere potest, donec dubio deposito, rationabiliter iudicent, prioris conjugij consortem decessisse, antequam inirent posterius. Sanch. l. 2. de Matr. D. 42. n. 3. Perez de Matr. D. 53. sect. 2. n. 4. Gobat tr. 10. n. 644. Engl n. 6. cit. Pirhing hic n. 3. Wiestner n. 17. Reiffensuel n. 25. quia inchoarunt possessionem conjugij cum mala fide, quo modo inchoata Juris conjugalis usum non potest tribuere. Dixi *rationabiliter iudicent*; nam ad utendum Matrimonio contracto non requiritur certitudo, sed ut notat Sanch. l. cit. n. 9. sufficit, si pro valore secundi Matrimonij prudentis arbitrio sint rationes ita probabiles, ut efficiant opinionem probabilem, quamvis probabilis sit Matrimonium non valere; quia satis est in moralibus sententiam probabilem amplecti juxta veriozem opinionem.

¶ Si *verò unus solum contraxit cum tali dubio*, hoc perseverante, petere quidem debitum ipse, tanquam malæ fidei possessor nequit, reddere autem alteri bona fide petenti debet, ne ipsum possessione conjugij, bona fide initi, & usu Juris ratione istius ipsi competentis privet. Abb. in c. Dominus. 2. h. tit. n. 4. Joan. Andr. ibid. n. 1. Ancharan. n. 5. Sylv. V. Matrimonium 4. q. 9. dict. 3. Henric. l. 12. de Matr. c. 6. n. 5. § 7. comment. lit. s. Sanch. D. 42. cit. n. 2. Vivian. in c. Dominus cit. §. §. si contraxit, §. 7. seq. Canis. ibid. n. 2. Barbol. n. 1. §. 3. Gonzal. n. 3. Bosco D. 12. sect. 12. concl. 2. à n. 30. Gobat. Theol. Exper. tr. 10. n. 644. Engl l. cit. n. 6. Zoxl. hic n. 7. Pirhing n. 3. not. 2. Schambog. n. 2. Wiestner n. 15. Reiffensuel n. 22. & patet ex c. inquisitioni, & c. Dominus cit. juncto c. discretionem 6. de eo, qui cognovit &c.

¶ Ex quo sequitur, contra Pontium, quòd tale Matrimonium, cum dubio, & conf. cum mala fide unius in initum, casu, quo prior conjux revera obiit, etsi istud à dubitante non sciatur, revera sit validum; hoc ipso enim, quòd Papa in tali casu præcipiat redditionem debiti, supponit Matrimonium posse esse validum; alias enim redditionem debiti, quæ est actus non nisi conjugibus licitus, concedere non possit, prout bene argumentatur Bosco l. cit. n. 32.

¶ Queritur 8. quid dicendum, si dubium Matrimonio, bona fide contracto, superveniat? In qua re iterum certum est, posse sic dubitantem reddere, & petere debitum, quando dubium est tantum leve, ut quia auditur à levibus, conjugem suum priorem adhuc esse superstitem; nam his credere non tenetur. Sanch. l. 2. de Matr. D. 41. n. 42. & habetur expressè

c. inquisitioni 44. de sent. Excomm. Quare dubium esse duntaxat potest, quando Matrimonio bona fide contracto supervenit dubium probabile, & justum. Videatur, etiam hoc casu à debiti exactione, & redditione abstinendum ex Regula generali: In dubijs tutior via eligenda est, quæ sumitur ex c. juvenis 9. de Sponsal. c. ad audientiam 12. de homicid. & c. illud 5. de Cleric. excomm. ministr.

¶ Sed dicendum, in casu dubij supervenientis Matrimonio bona fide contracto, sive uni tantum, sive utrique superveniat, teneri dubitantem inquirere de veritate, & interea abstinere à petendo debito, quamvis reddere illud possit bona fide petenti; si verò post factam diligentem inquisitionem de rei veritate, dubium perseveret, licitam utriusque esse debiti tam petitionem, quam redditionem. Ita Sot. l. 4. de Just. q. 3. art. ult. ad fin. Veracrux Specul. p. 1. art. 42. concl. 3. & p. 3. art. 18. concl. 5. Henric. l. 11. de Matr. c. 6. n. 5. § 7. Sanch. D. 41. cit. n. 49. Perez de Matr. D. 53. sect. 3. n. 9. Gobat. tr. 10. n. 642. Wiestner hic n. 22. Reiffensuel n. 28. ibid.

¶ Ratio prime partis est, quia generali ter, etiamsi aliquis bona fide rem incipiat possidere, tamen, si postea dubitat, an illa non sit alterius, tenetur inquirere, & donec inquirat, ab ejus usu abstinere; frustra enim alias inquireret dominium rei, si non teneretur illam eidem conservare, ut cum alijs bene argumentatur Sanch. D. 41. cit. n. 21. ergo etiam, licet quis bona fide contraxerit Matrimonium, tamen, si postea dubitat, an non invalidum sit hoc suum Matrimonium, & conjux prior superstes sit, donec indagat circa rei veritatem, abstinere à debito petendo debet: reddere tamen bona fide petenti poterit; quia hic bona fide possidet, & bonæ fidei possessor ob dubium alterius commodis possessionis suæ privari non debet. Secus esset, si etiam hic alter dubitaret de valore Matrimonij; nam tunc neuter reddere, vel petere debitum possit, eò quòd dubitans illicitè petat, & non præmissà debiti diligentia, jus petendi non habeat; tota enim ratio, ob quam tenetur dubitans petenti reddere, est, quòd alter petat sibi debitum ratione possessionis. Sanch. l. cit. n. 55.

¶ Ratio secunda partis; quia in dubio melior est conditio possidentis, & ipsa possessio bonæ fidei rei sic possessæ liberum usum tribuit. Excipitur, si conjux ita dubitans probabile morivum haberet judicandi, priorem conjugem adhuc vivere, quòd unus testis fide dignus asseruerit, eum post initum Matrimonium posterius à se visum; in hoc enim casu, si non pariter motivum probabile habeat eundem decessisse, sola redditiò, non autem petitiò debiti conjugij sic dubitanti permissa erit c. inquisiti-

- xi cit. v. fin. Gobat n. 642. Reiffenstuel n. 29.*
- 29 *Ad Rationem dubitandi dico, Regulam illam solum procedere de dubio pratico, in quo nemo operari licite potest; non verò de dubio speculativo, quale est in casu praesenti, cum solum dubitetur, an sint veri conjuges, non verò, an licitus sit eo casu conjugij usus, quippe quæ tunc Jus ipsum concedit c. inquisitioni cit.*
- 30 *Quæritur 9. quid faciendum conjugij, qui secundas nuptias iniit bona quidem fide, sed postea rescit, suum, vel alterius conjugem adhuc vivere, aut vixisse tempore contracti secundi conjugij? R. Si id moraliter certò intelligat, illico abstinere debet ab omni carnali commercio cum consorte Matrimonij posterioris, etiamsi Ligaminis necdum dissoluti impedimentum, & ex illo provenientem nullitatem probare nequeat. Proceditque hoc, etiamsi ad debiti redditionem eujuscunque mali comminatione compellatur; nam potius omnia mala, & ipsam etiam Excommunicationem sustinere humiliter debet, quàm debitum reddere can. ad bellicam 1. fin. caus. 34. q. 1. c. litteras 13. v. porro de restit. Spoliat. c. inquisitioni cit. c. Dominus 2. b. tit. Sanch. l. 2. de Matr. D. 39. n. 2. Perez D. 53. sect. 1. n. 5. Vivian. in c. 2.*

b. tit. v. § si postmodum, Barbosa. ibid. n. 2. Gobat l. cit. n. 637. Zcefi, hic n. 7. Honor. n. 9. Wiestner n. 19. Reiffenstuel n. 30. Ratio est, quia Matrimonium posterius, superflite priore conjugè, invalidum est, & carnale commercium in taliter conjunctis fornicarium, ac illicitum, quod proinde nullo casu reddi licitum potest.

Interest tamen, an conjux prioris Matrimonij adhuc vivat, an vixerit quidem tempore contracti secundi Matrimonij, jam verò vivere desierit. Nam in primo casu ante mortem conjugis primi conjugium secundum convalescere nequit propter Impedimentum Ligaminis, quod non nisi morte dissolvitur. In secundo casu, ut in Matrimonio hoc altero manere possint, cum illud invalidè contractum sit, nec per mortem solum conjugis prioris convalescat, opus est, ut consensu per verba de praesenti ab utroque conjugè renovato, ratificetur; tum enim in eo perseverare, illòque uti licite poterunt Wiestner hic n. 20. § 21. qui n. 22. bene addit, in utroque casu prolem, à talibus conjugibus, qui bona fide, & praemissis Denuntiationibus Matrimonium contraxerunt, susceptam, habendam pro legitima, prout dictum est supra Tit. 17. n. 11 § seqq.

§. II.

De Nuptiarum secundarum Benedictione.

S U M M A R I U M.

32. *Quid intelligatur nomine Benedictionis Nuptiarum?*
33. 34. *Quis benedicere debeat Nuptias?*
35. *An Benedictio nuptialis primis Nuptijs necessario sit adhibenda?*
36. *An, & quomodo peccet, qui sine hac contrahit Matrimonium?*
37. *Vel contractum consummat?*
38. 39. 40. *An, Jure Ecclesiastico spectato, liceat secundis Nuptijs Benedictionem imperitari?*
41. 42. *Quid liceat, attentis consuetudine, circa secundarum Nuptiarum Benedictionem?*
43. 44. *An, quando priores Nuptie, in quibus uterque conjux Benedictiones accepit, reperiantur irritæ, istæ in posterioribus sint repetendæ?*
45. *Quam poenam incurrat Sacerdos, Benedictionem Secundis Nuptijs imperitiam in casu non permisso?*
- 32 *Quæritur 1. quid intelligatur nomine Benedictionis nuptiarum, an honestè, & in quem finem adhibeatur? R. 1. Nomine Benedictionis hic veniunt ceremoniæ, & preces, atque oblationes Sacræ, in solemnitate nuptiarum adhiberi solitæ can. aliter 1. caus. 30. q. 5. 2. Adhibentur nuptijs saltem primis convenientissimè ab Ecclesia, cum in hoc exemplum sequatur ipseus DEI, Protoparentes nostros in Paradiso benedicientis. Hinc meritò Trid. sess. 24. can. 11. de Sacr. Matr. eos, qui Benedictiones, & alias ceremonias, in nuptijs adhiberi solitas, damnant, Anathematè ferunt. 3. Sunt autem institutæ hæc Benedictiones, tum ad*
- Sacramenti honorem, tum ut novis Sponsis necessariam gratiam DEUS imperitatur ad conjugij onera sustinenda, & educandam Christianè sobolem.*
- Quæritur 2. quis benedicere nuptias debeat? R. Ex Decreto Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Matr. v. præterea impendendæ sunt à proprio Parocho, & à nullo alio, nisi de licentia Ordinarij, vel Parochi, non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali, vel privilegio. Quodsi alienus Parochus, vel quicumque alius Sacerdos, sive secularis, sive regularis, etiamsi id sibi ex consuetudine immemoriali, vel privilegio licere contendat, alterius Parochiæ Sponsis, sine*

sine Parochi proprii, vel Ordinarii licentia benedictiones impertiri ausus fuerit, manet ipso Jure tamdiu suspensus, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, à quo Benedictio suscipienda erat, ut *ibidem* decernitur.

34 Quando contrahentes diversarum Parochiarum sunt, putant aliqui cum Cevallos *q. 604. n. 148.* Benedictionem impertendam à Parocho mulieris. Sed melius cæteri cum Sanch. *l. 7. de Matr. D. 82. n. 4.* Pihing *hic n. 11. not. 2.* Schambog. *ib. n. 5.* docent, sufficere Parochum utriusvis contrahentis; quia eodem verborum tenore in *Trid. l. cit.* exigitur, ut proprius Parochus interfit Matrimonio, & ut Benedictionem conferat: sicut ergo ad prius sufficit Parochus utriusque contrahentis, ita & ad posterius.

35 Queritur 3, an Benedictio nuptialis primis Nuptijs necessariò sit adhibenda? Benedictio hæc necessaria est, non quidem ad valorem conjugij, sed ex necessitate præcepti, ut colligitur ex *can. nostrates 3.* & *can. Sponsus 5. caus. 30. q. 5.* idque approbat Ecclesiæ consuetudo, juxta quam Sponsi in omnibus Dioccesibus compelluntur Benedictiones nuptiales recipere: quod non possit fieri, si solum esset consilium, ut fateantur omnes DD. teste Sanch. *l. 7. de Matr. D. 82. n. 6.* Neque majorem, quam præcepti necessitatem probat textus *can. aliter 1. caus. 30. q. 5.* ubi dicitur, aliter conjugium non fore legitimum; nam, ut DD. communiter explicant, id intelligendum est, quòd non sit Legibus Ecclesiasticis conforme, quibus benedici Nuptiæ primæ præcipiuntur.

36 Qualiter verò per omissionem hujusmodi Benedictionis peccetur, non convenit inter DD. Waldensis *de Sacram. c. 133. n. 3.* & nonnulli alij putant omissionem istam esse graviter peccaminosam, ducti *can. aliter cit.* *can. nullus 2.* & *can. Sponsus 5. caus. 30. q. 5.* quibus Benedictiones nuptiales seriò præcipiuntur. Alij contra cum Navarr. *Man. c. 22. n. 83.* existimant, eam omissionem ab omni culpa immunem esse, ob *Trid. y. præterea cit.* ubi S. Synodus Sponfos ad Benedictionis receptionem solummodo hortatur. Tenenda via media, & dicendum, omissionem istam quidem, sedulo contemptu, vacare culpâ mortali, quòd non sit res gravis, & *Trid. l. cit.* non utatur verbis gravem obligationem significantibus; quia tamen sine aliquo fidelum scandalo omitti vix potest, omissionem istam non omni vacare culpâ. Ita Sor. *in 4. dist. 28. q. 2. art. 2. §. postrema*, Sanch. *D. 82. cit. n. 2.* Perez *D. 43. de Matr. sect. 10. n. 4.* Gobat *tr. 10. n. 562.* Pih. *hic n. 11. not. 3.* Schamb. *n. 5.* Wiestn. *n. 26.* cum alijs, Dixi, *secluso contemptu*; nam si ex contemptu omittatur Benedictio nuptiarum, esset peccatum mortale. Contemptus autem tunc fieri censetur, quando

quis omitteret has Benedictiones, quia eas nihil facit, acsi essent res viles, & vanæ, Sanch. *l. cit.*

Similiter culpam venialem ad summum committit, qui Matrimonium contractum ante Ecclesiæ Benedictionem consummat: imo, ut Sanch. *l. 3. de Matr. D. 12. n. 7.* docet, ne venialem quidem; sed aliquando etiam sanum erit consilium, consummare ante Benedictionem, quando illa ex causa iustâ differtur, & periculum incontinentiæ est. *Excipitur. 1.* si ex contemptu consummetur Matrimonium ante Benedictionem Ecclesiæ: sed hic, ut constituat culpam mortalem, debet esse gravis, qualem *n. præc.* descripsi. Sanch. *n. 8.* *Excipitur 2.* nisi scandalum sequatur; tunc enim ita consummans peccabit graviter, vel leviter, pro quantitate scandalii. Sanch. *n. 9.* *Excipitur 3.* nisi Excommunicatio lata sit in ea Diocesi adversus consummantes, non præmissis Benedictionibus: sed, ut bene notat Sanch. *n. 10.* non apparet, quomodo hæc Excommunicatio justificari possit, cum fieri illa non possit, nisi ubi adest materia imponendi præceptum ad mortale. Talis autem non videtur adesse in casu præsentis, cum ipsum *Trid. l. cit.* solum hortetur conjuges, ut ante Benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.

Queritur 4, an, Jure Ecclesiastico spectato, liceat secundis Nuptijs Benedictionem impertiri? Variæ sunt DD. sententiæ; nam 1, aliqui cum *Greg. Lopez* volunt, etiam secundis Nuptijs impertiendam Benedictionem, si iustæ sint: & hinc Jura, quæ illam adhiberi prohibent, contendunt intelligenda solum de secundis Nuptijs, dum primæ constant. *Rationem* dant; quia cum Benedictio hæc Sacramentum non sit, nihil obstat, quin iterari possit. 2, Alij cum *T. berna* docent, eandem neque in iustis nuptijs adhiberi posse ob generalitatem *c. vir autem 3. b. tit.* & pœnam Capellano, seu Parocho, hujusmodi nuptias benedicens statutam *c. capellanum 1. eod. 3.* non pauci cum *Covarruvia* contendunt, si uterque, vel alter conjux in primis nuptijs Benedictionem accepit, non debere in secundis Nuptijs Benedictionem impertiri; secus autem, si neuter conjux in primis nuptijs Benedictionem accepit: *Primi membri* rationem dant, quia pars benedicta ob communicationem, quam conjuges habent inter se, Benedictionem suam transfundit in non benedictam: *pro secundo* hanc rationem afferunt, quòd non videantur ejusmodi privandi Spirituali illo fructu, qui per ejusmodi Benedictiones confertur. 4, Nonnulli cum *S. Tboma* distinguunt inter casum, quo ad nuptias secundas transit vir tantum, ducique virginem, & inter casum, quo uterque vel saltem femina; nam in primo casu admittunt Benedictionem repeti posse, negant in secundo. *Rationem* discriminis sumunt ex significatione Sacramenti

Matrimonij; nam Matrimonium consummatum significare debet conjunctionem Christi cum Ecclesia: quæ significatio non ita perfecta salvatur, si mulier binuba sit; melius autem salvatur, si vir sit binubus: quia Christus, etsi unam Ecclesiam Sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia.

39 Ex his Sententijs tertiam prælegit Sanch. n. 15. & merito; nam erui sufficienter videtur ex c. *vir autem cit. ibi. Vir autem, vel mulier ad bigamiam transiens non debet à presbytero benedici; quia cum alia vice benedicti sint, eorum Benedictio iterari non debet*: ubi textus loquitur disjunctivè, *Vir, vel mulier*. Ergo ubi alteruter Benedictioem accepit in primo conjugio; ejus iteratio, spectato Jure communi, prohibetur. Neque obstant verba *ad bigamiam transiens*, quasi bigamia sit fundamentum prohibitionis; cons. cum hoc casu uterque fiat bigamus, nihil interfit, an Benedictioem unus eorum acceperit, an verò nullus. Nam contra est, quia textus non innititur bigamiæ, sed sensus est: *sive vir sive mulier secundas nuptias contraxerit, si unus eorum in primis benedictus fuit, Benedictioem non esse iterandam*. Minus obstat, quòd textus dicat in plurali, *Quia cum alia vice benedicti sint*, & sic videtur petere utriusque in primis nuptijs benedictionem; nam intelligendum hoc est in sensu verborum præcedentium, nempe disjunctivo.

40 In vera hujus prohibitionis ratione assignanda multum laborant hujus sententiæ Patroni. Illa, quæ n. 38. relata est, videtur inefficax; quia licet vir communicet uxori actiones Spirituales juxta c. *Martinus 4. de Cognat. Spirit.* non tamen communicat passionem, ut tradunt *ibidem DD.* Deinde id, quod dicitur, partem benedictam transire benedictionem suam in partem non benedictam, procedit tantum, quando fit perfecta rerum commixtio, ut quando aquæ non benedictæ miscetur benedictæ; qualis commixtio non fit per Matrimonium consummatum viri, & femine, quippe quæ Metaphorica tantum est. Quare vera prohibitionis ratio, ut cum pluribus alijs existimat Sanch. n. 16. erit, quòd dedecet, solennes rerum, aut personarum Benedictioes, ut sunt consecratio Ecclesiæ, Altarium, Virginum, Nuptiarum, iterari in eadem re, vel persona, ne vilipendantur. Iteraretur autem in eadem persona Benedictio nuptialis, si impertiretur secundis nuptijs, uno Sponsorum jam benedicto in primis; quia non potest unus benedictus, quin etiam benedicatur alter Sponsorū, Ergo &c.

41 Queritur 5. quid liceat, attenda consuetudine, circa secundarum Nuptiarum Benedictioem? Ex consuetudine (imò alicubi ex particularibus Diocesum Statutis) Benedictio Sacerdotalis secundis Nuptijs passim impenditur, quoties ea à Sponfa, & alicubi etiam à Sponso antè recepta non fuit, adeo,

ut eo solum casu omittatur, quo illa antè recepta jam fuit ab utroque. Atque hæc consuetudo est approbata in *Extrav. Concertationi Joannis XXII.* quæ nondum typis edita est, sed refertur apud Sanchez l. 7. de Matr. D. 82. n. 23. in qua declaratur, quòd licet vir, vel mulier, ad secundas nuptias transiens, benedicti non debeat, cum aliàs sit benedictus, contrahens tamen secum benedicti debet; quia si forsitan alter eorum, vel ambo, ad secundas nuptias transientes, in primis benedicti non fuerint, danda erit Benedictio in secundis. Et sic ubique servari ajunt DD. cit. apud Sanch. l. cit. qui n. 24. addit, ejusmodi consuetudinem, ut in secundis nuptijs Benedictio impendatur, quando unus tantum est benedictus in primis. non obligare sub præcepto, sed posse tunc Benedictioem omitti in secundis Nuptijs.

Optimè fecerit, qui Rituali Diocesis suæ se accommodaverit; ex his enim consuetudines cujusque Diocesis perspicere possunt: unde in dubio illa sunt inspicienda. In Frisingensi Diocesi juxta Rituale ejusdem c. 9. membr. 1. §. 8. ita disponitur: *Caveat Parochus sub pena suspensionis, ipso facto incurrenda, ne quando conjuges in primis nuptijs Benedictioem acceperunt, eos in secundis benedicat*. Concedit tamen ibidem secundarum Nuptiarum Benedictioem, si vir secundam, uxor verò primam vice nubat; non item si uxor secundam, & vir prima vice nubat. Reiffensuel hic n. 33.

Queritur 6. an quando priores nuptiarum, in quibus uterque conjux Benedictioes accepit, reperiantur irritæ, fiat in posteribus repetenda? Affirmativa videtur probari ex eo, quia deficiente principali, etiam deficiente accessorio debet l. *cum principalis 178. ff. de R. J.* at Benedictioes sunt accessorie Matrimonio.

Sed dicendum, non esse repetendas, Ita Host. in *Summ. b. tit. n. 3. v. sed contra*, Paludan, in 4. dist. 42. q. 3. art. 1. concl. 2. n. 6. Rosell. *V. nuptie n. 3. Sylv. V. eod. q. 3. Sanch. l. 7. de Matr. D. 82. n. 26. Proceditque hoc*, ut idem Sanch. l. cit. advertit, sive sint iidem conjuges, qui inter se invalidè contraxerunt, & sublato jam impedimento, volunt instaurare prius illud Matrimonium, sive uterque aliud Matrimonium irritum inisset receptis Benedictioibus, & nunc inter illos aliud Matrimonium celebretur.

Ratio est, quia Benedictio non proprie impenditur Nuptijs, sed personis, ut constat ex c. *Vir autem 3. b. tit.* ubi interdicitur Benedictio secundarium Nuptiarum, si semel ab alterutro contrahentium recepta est, ne repetatur Benedictio. Atqui si Nuptijs proprie impertiretur Benedictio, non diceretur repetita in secundis, cum istæ à primis prorsus diversæ sint.

Ad Argumentum contrarium dico Regulam illam procedere, quando veritas accessorij pendet ex principali: quòd hic non contingit; nam cum, ut dictum est, Benedictio

4) No personis, non nuptijs propriè impendatur, licet nuptiæ irritæ fuerint, Benedictio tamen suum valorem, & effectum sortita est.

Queritur 7. quam poenam incurrat Sacerdos, Benedictionem secundis nuptijs impertiens in casu non permisso? Aliqui putant eum incurrere Suspensionem ab officio, & Beneficio, ferendæ quidem Sententiæ, sed postquam lata hæc est, reservatam ob *c. Capellanum 1. b. tit.* Sed quia hæc poena nimium gravis est, & delicti qualitatem videtur excedere, hinc alij cum Joann. Andr. *ibid. n. 1. V. suspensum*, Alex. de Nevo *n. 6.* Angel. *V. Nuptiæ fin.* Diaz *pract. c. 74. n. 2.* Menoch. *de arbitr. c. 417. n. 8.* Sanch. *l. 7. de Matr.*

§. III.

De Secundarum Nuptiarum Pœnis.

S U M M A R I U M.

46. &c. Pœnæ binubentibus Jure Imperiali aliquæ statuta sunt in favorem Liberatorum primi Matrimonij.

51. &c. Aliæ in odium præmaturi, & inconsulti transitus ad secunda Vota.

57. &c. Primi generis pœnæ etiamnum vigent.

60. &c. Secundi generis per Jus Canonicum sublatae sunt.

46) Queritur 1. quanam pœnæ binubentibus Imperiali Jure statuta sint? R. Hæc duplicis generis sunt; nam quædam Liberatorum, ex priori Matrimonio susceptorum, favorem duntaxat, & utilitatem spectant, conf. cessant, nullis existentibus Liberais, vel his ante parentem binubum mortuis *l. femina 3. §. illud 1. C. b. tit.* aliæ odium, & punitionem præmaturi, & inconsulti transitus ad Vota secunda respiciunt.

Primi generis quinque omnino sunt. Et 1. quidem uxor (idem dicendum de marito ob rationis paritatem, & textum expressum *l. generaliter 5. pr. & §. in his 1. ff. b. tit.*) amittit dominium omnium eorum, quæ mortui mariti liberalitate, aut ultimæ Voluntatis dispositione accepit, eorumque solummodo Usufructum retinet, proprietate Liberais, ex priore Matrimonio procreatis, servatâ *l. femina 3. & l. hac editali 6. §. bis illud 1. C. b. tit.* Bartol. *in l. femina cit. pr. n. 2.* Ancharan. *in c. fin. b. tit. n. 8.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 9. n. 7.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 88. n. 2.* Gutier. *de Matr. c. 108. n. 23.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 10. concl. 2.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 13. §. 3. n. 1.* Gonzal. *in c. fin. b. tit. n. 5.* Engl. *hic 7. secundi generis*, Pirhing *n. 9.* König *n. 8.* Wiestner *n. 32.* Reiffenstuel *n. 36.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Matr. c. 4. n. 153.*

47) 2. Eadem mulier ex bonis suis secundo conjugii five inter vivos, five ultima voluntate relinquere plus non potest, quam uni ex liberis prioris Matrimonij, & si hi non æquis portionibus instituti sint, quam illi, cui minimum, modò legitimam illi reliquerit *l. hac editali cit. pr. & l. cum apertissime 10. pr. c. b. tit.* idque

D. 82. n. 30. Canif. *in c. 1. cit. n. 2.* Engl. *tit. de clandest. Despons. n. 8.* Pirhing *hic n. 16.* Schambog *n. 10.* Wiestner *n. 30.* Reiffenstuel *n. 34.* textum *c. cit.* solum intelligunt de Benedicente secundas nuptias, primis adhuc constantibus, vel existente dubio de morte prioris conjugis, cujusmodi benedicens etiam vi Trid. *sess. 24. c. 1. de reform. Matr.* suspensus est. Alij cum Abb. *in c. cit. n. 5.* respondent, esto, intelligeretur de Benedictione secundi Matrimonij legitime contracti, Pontificem eam poenam statuisse facto illi speciali, nec constitutum ibi Jus esse, ut ea poena sit ordinaria hujus delicti.

66. Habent tamen & ipse locum in Vidua fornicante.

67. &c. Non tamen ante Sententiam Judicis.

70. 71. Extenduntur etiam ad viduum fornicantem.

72. Licet, & validè à conjugè relinquatur Legatum conjugii, sub conditione, si non amplius nubat.

ideo, ne infano novi conjugis amore capta; pierasque facultates in eum effundat. Gloss. *in l. hac editali cit. V. dividi.* Alex. de Nevo *in c. fin. cit. n. 8.* Sanch. *n. 3.* Gutier. *n. 24.* Laym. *concl. 2.* Palao *n. 2.* Gonzal. *n. 5.* Honor. *n. 5.* Wiestner *n. 33.* Reiffenstuel *n. 38.* Magnif. P. Schmier *n. 157.* cum cæteris *suprà.* Adidit, modò legitimam illi reliquerit; nam filio, cui minus legitimam relictum est, cum possit agere ad supplementum Legitimæ, videtur relictæ Legitima, & per consequens conjux secundi Matrimonij debet habere, quantum valet Legitima filii, five filius egerit ad supplementum Legitimæ, five non; quia suppleto à Lege fit ipso Jure. Honor. *n. 7.* qui *ibidem* notat, non prohiberi conjugem, ad secundas nuptias transeuntem, plus relinquere filijs natis ex secundo Matrimonio, quam filijs primi, dummodo hos non fraudet legitimam.

3. Amittit Liberatorum tutelam *l. matres 2. & Auth. Sacramentum C. quand. mul. tutel. offic. & curatelam arg. l. quodsi nolit 31. §. quod in Procuratore 14. ff. de Adil. edit.* ita quidem, ut etiam novo marito mortuo, non recuperetur. Salycet. *in Auth. cit. n. 5.* Tiraquell. *de cessant caus. limit. 12. à n. 8.* Sanch. *D. 88. cit. à n. 4.* Perez *in C. quand. mul. tutel. offic. n. 3.* Gutier. *n. 25.* Laym. *concl. 2.* Palao *n. 2.* Gonzal. *n. 5.* Honor. *n. 8.* Wiestner *n. 34.* Reiffenstuel *n. 39.* Schmier *n. 160.* cum *cit.* Imò si Judice adito, tutorem filijs dari non petierit, & susceptæ tutelæ rationem reddiderit, soluto debito omni, incidit in pœnas omnes, impositas à Jure mulieribus, nubentibus intra annum luctus. *Auth. eisdem C. b. tit. & Novell. 22. c. 40. 7. ideoque*, Salycet. *in Auth. cit. fin.* Sanch.

Sanch. n. 13. Gutier. n. 26. Palao n. 9. Pirhing n. 9. Wiestner n. 24. Porro quod dictum est de officio tutelæ, & curatelæ, nonnulli apud Sanch. l. cit. n. 14. extendunt ad executionem Testamenti, putantque, si mulier relicta sit à viro Executrix Testamenti, & ad secundas nuptias transeat, eam id munus amittere, quod officium tutelæ, & executionis testamenti æquiparentur. Sed melius cum eodem Sanchez negatur; neque enim semper valet argumentum à tutela ad Testamenti executionem, maximè in his poenalibus, & ubi ratio diversa militat: patet ex l. cum pater 77. §. hereditatem 4. ff. de Legat. 2. junctâ, l. si arrogati 14. ff. de Tutel. ubi Tutela finitur deportatione, non tamen officium executionis, vel electionis. Sanch. l. cit. Illud omnino certum, quod patrem binubentem poena hæc amissionis tutelæ, vel curatelæ Liberorum non stringat, ut alijs cit. advertit Sanch. l. cit. n. 12. Palao n. 8. Reiffenstuel n. 39. Magnif. P. Schmier n. 161. Imò existente patre, non datur Liberis Tutor, nisi eosdem emancipet l. si infanti 18. C. de Jur. deliber. manetque pater legitimus administrator, gaudens Usufructu bonorum maternorum, proprietate illorum servata filijs l. generaliter 5. §. negotia C. b. tit. & l. fin. C. de bon. matern. ibi, Patres igitur usufructum maternarum rerum, etiam si ad secundas migraverint nuptias, sine dubio habere debebunt.

49 4. Pupilli, post secundas nuptias, à matre, licet alijs eidem Liberorum educatio quam maximè comperat, separandi, & apud aliam personam educandi sunt l. educatio 1. C. ubi pupill. educar. deb. & Novell. 22. c. 38. nisi Statuto, aut moribus loci aliud inductum sit, Perez in C. Rubr. cit. n. 5. Sanch. n. 16. Gutier. n. 27. Laym. concl. 2. Palao n. 12. Brunnem. in l. 1. cit. n. 7. Pirhing n. 9. Wiestner n. 35. Reiffenstuel n. 40. Dubium est, an mater secundò nubens absolutè privetur jure educationis liberorum, an verò solum ex præsumptione Juris, habentis eam pro suspecta? Sanch. n. 17. affirmat hoc secundum arg. l. educatio cit. ibi, Quando autem inter eam, & cognatos, & tutores super hoc orta fuerit dubitatio, adius Præses Provincia, inspecta personarum qualitate, & conjunctione, pendet, ubi puer educari debeat: Putat igitur Sanchez, si ex conjecturis mater, & vitricus ab omni suspitione immunes videantur, Liberos apud matrem, si velit, educandos esse relinquendos. Glossa tamen in Novell. 117. c. 7. §. non venerit, Anchar. conf. 316. Menoch. de arbitr. c. 168. n. 10. Palao tr. 28. D. 4. p. 13. §. 3. n. 14. Reiffenstuel hic n. 42. non minùs probabiliter contendunt, Matrem secundò nubentem inspecto jure, absolutè privatam esse jure educandi liberis, ita, ut quamvis ab ipsa, & Vitrico absit omnis suspicio, alibi tamen educandi collocari Liberi valeant per Jura allegata. Ad textum l. educatio cit. respondent, eum intelligendum de casu, quo mater

vidua permanet, ita, ut si ipsa existente vidua, inter eam, & tutores, aut consanguineos lis moveatur, ubinam educari debeant Liberi, Judex, inspectis circumstantijs, pronuntiare debeat; potest enim bene contingere, ut mater, etiam vidua manens, privetur jure educandi Liberos arg. l. educatio cit. junct. Gloss. V. conditione, & l. si disceptetur 5. ff. ubi pupill. Hæc poena iterum non tangit Patrem binubentem; quia nullo jure caveatur, eum educatione proles privandum. Sanch. n. 20.

5. Quamvis Vidua, dum in eo statu permanet, gaudeat privilegijs honoris mariti, eò, quod censetur sub præcedenti Matrimonio esse l. fin. C. de bon. matern. at si ad secundas nuptias transeat, & viro inferioris dignitatis nubat, privilegia honoris, & immunitatis prioris mariti perdit l. mulieres 13. C. de Dignit. & Novell. 22. c. 36. quia jam cessat ratio concessionis, cum imposterum non amplius sub priori, sed sub superinducto conjugio censetur l. filij 22. §. vidua 1. ff. ad municipal. Tiraquell. de Nobilit. c. 18. n. 9. Sanch. D. 88. cit. n. 31. Palao §. 3. n. 24. Gonzal. in c. fin. b. tit. n. 5. Wiestner hic n. 36. Reiffenstuel ibid. n. 43.

Secundæ generis poenæ, quæ lata sunt in Viduam nubentem intra annum luctus, sunt itidem quinque.

1. Enim tam ipsa, quam vir eam ducens contrahunt infamiam l. pratoris 1. l. liberorum 11. ff. de his, qui notant infam. l. Decreto 15. C. ex quib. caus. inf. m. irrogat. & quidem ipso jure l. si qua mulier 1. C. b. tit. & Novell. 22. c. 22. Perez in C. b. tit. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 10. concl. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 13. §. 2. n. 2. Gonzal. in c. fin. cit. n. 5. Pirhing hic n. 7. König n. 7. Wiestner n. 36. Reiffenstuel n. 35. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 4. n. 144. Idque statutum est, ut evitetur turbatio sanguinis per secundum Matrimonium, & incertitudo proles; fortè enim illa mulier ex priore marito concepit: quæ ratio cum cesset in marito, ideo nulla infamia in eum statuta est, quocumque tempore post mortem prioris conjugis ad alias nuptias transeat. Canif. in c. 4. b. tit. n. 1. Pirhing hic n. 7. Schambog. ibid. n. 3.

2. Plus tertia parte bonorum titulo Dotis, vel per ultimam Voluntatem in matrum transferre nequit; reliquæ enim Liberis, ex priore Matrimonio susceptis, vel his non existentibus, hæredibus legitimis, sive ab intestato venientibus addicentur, ut adeo hoc casu partim testata, partim intestata decedat. l. si qua cit & ibi Bartol. n. 1. Bald. n. 10. Sanch. n. 4. Laym. concl. 1. Palao n. 3. Gonzal. n. 5. Pirhing n. 7. König n. 7. Reiffenstuel n. 35. Wiestner n. 39. Magnif. P. Schmier n. 142. Quod ad Donationem inter vivos extendit cum alijs Sanch. l. cit. quia ea Donatio, ut Tit. prec. n. 2. dictum est, utpote inter conjuges facta, infirma est, nec convalescit, nisi per mor-

mortem confirmetur; tunc autem, quando per mortem confirmatur, jam habet vim relicti in Testamento, vel per aliam ultimam Voluntatem; conf. urget dispositio *l. si qua cit.*

53 3. Incapax redditur cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommissi, & donationis mortis causâ ab alio, quàm viro assequendæ, ut proinde quidquid ei fuerit relictum, id vel hæredibus scriptis, vel cohæredibus, ab intestato venientibus, sit applicandum *l. si qua mulier cit. Novell. 22. c. 22. Gloss. in l. cit. v. relictoorem*, Sanch. *n. 7. Laym. l. cit. Palao n. 4. Gonzal. n. 5. Pirhing n. 7. König n. 7. Wiestner n. 40. Reiffenst. n. 35. Schmier n. 146. Ex quo sequitur*, attentata hac Legum dispositione (nam *infra n. 62.* dicam, poenas istas per Jus Canonicum fuisse correctas) Viduam hujusmodi intra annum luctûs nubentem, tenei in conscientia, sic accepta in ultima voluntate restituere alijs hæredibus, sicut restituere tenetur quicumque alius, qui incapax est accipiendi aliquid per ultimam Voluntatem.

54 4. Amittit omnia, quæ à priori viro titulo hæreditatis, Legati, fideicommissi, donationis mortis causâ, vel propter nuptias relicta sibi sunt *l. si qua mulier cit. §. his etiam, & l. seq. c. b. tit.* quæ proin viri illius consanguineis, primo, & secundo gradu conjunctis, secundum modum succedendi ab intestato addicuntur, hisque deficientibus,ISCO cedunt *§. cit. Gloss. ibid. v. supreme*, Sanch. *n. 10. Palao n. 5. Gonzal. n. 5. Pirhing n. 7. König n. 7. Reiffenstuel n. 35. Schmier n. 147. Ex quo sequitur*, quoad poenam istam, discrimen inter Viduam nubentem intra, & inter eam, quæ nubit post annum luctûs; nam nubens intra annum luctûs absolute perdit sic relicta etiam quoad usufructum, quem in relicta sibi à viro retinet nubens post annum luctûs. Sanch. *l. cit.*

55 5. Eadem ab intestato non succedit consanguineis suis ultra tertium gradum *l. si qua mulier cit. §. eadem*: ac proinde nec filio fratris; quia jam egreditur tertium gradum, & est in quarto secundum Juris Civilis computationem, quam in his civilibus, & in successioneibus observandam dixi *libr. 3. Tit. 25. n. 5. & hoc Libr. Tit. 14. n. 19. Sanch. n. 19. Laym. l. cit. Palao n. 6. Gonzal. n. 5. Pirhing n. 7. König n. 7. Wiest. n. 42. Reiffenstuel n. 35. Schmier n. 147.*

56 Porro poenæ istæ nullo modo extendendæ sunt ad virum binubentem intra annum luctûs, prout patet ex *l. si qua mulier 4. C. ad S. C. Tertull. & Novell. 22. c. 22.* qui textus expressè de uxore loquuntur. Neque obstat, quod aliàs dispositum de uno correlativorum etiam dispositum censeatur de alio; nam subintelligi debet, quando est eadem in utroque ratio: quæ tamen non est in præsentibus, cum feminis competat viros lugere, ac proinde à nuptijs abstinere; secus verò viris, qui lugere uxores non compelluntur *l. R. P. Schmalzgrueber L. IV.*

uxores 9. ff. de his, qui notant. infam. Palao n. 9. Schmier n. 149.

Quæritur 2. an poenæ hætenus relaxentur etiamnum vigeant, vel per Jus Canonicum, quod secundas nuptias approbavit, iisdem sit derogatum? Satis convenit inter DD. plerosque, non esse sublatas poenas primi generis, quæ in favorem filiorum primi Matrimonij statutz, & à *n. 46.* recensitæ sunt. Ita enim expressè Innoc. in *c. fin. b. tit. n. un.* Joan. Andr. *n. 5. Host. n. 3. Anchar. n. 96. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 9. n. 5. Sarmient. l. 1. select. c. 4. n. 4. Sanch. l. 7. de Matr. D. 88. n. 39. Guier. de Matr. c. 108. à n. 21. Gaill. l. 2. observ. 98. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 10. concl. 2. Palao tr. 28. D. 4. p. 13 §. 3. n. 31. Canif. in *c. fin. cit. n. 3. Barbol. ibid. n. 3. Gonzal. n. 9. Oliva for. Eccl. p. 1. q. 43. n. 22. Haun. tom. 1. de J. & J. tr. 4. n. 504. Engl. hic §. secundi generis, Pinning ibid. n. 10. Zoesl. n. 2. Honor. n. 5. König n. 2. fin. Wiestner n. 37. Reiffenstuel n. 48. & alij passim contra Abb. in *c. 10. de Const. n. 15. Felin. ibid. n. 56. &c.***

Ratio est, quia Legibus, poenas has inducentibus, nullo textu Canonico est derogatum, nec derogandum suadet ulla rationabilis causa, cum ratione nitantur justissima, dum Liberis primi Matrimonij consulunt, quos parentes binubi plerumque negligere solent, omnemque suum amorem, & substantiam conjugibus superinductis addicere.

Neque obstat, quod conjugia secunda judicio Ecclesiæ sint permiffa, & sic illa contrahentes poenam non mereantur; quia Leges istæ proprie poenales non sunt, sed potius dispositiones Juri, & æquitati naturali maxime consentaneæ, providentes indemnitati Liberorum, quibus iteratæ parentum nuptiæ damnosæ, & infaustæ esse consueverunt, cum experientia testetur, quod parentes, post transitum ad secundas nuptias, allecti amore posterioris conjugij, odio persequantur sæpe liberos prioris Matrimonij, hósque spolient, ut conjugem posteriorem ditent.

Et licet uxor binuba per has Leges multis privetur favoribus, ij tamen solum attingunt lucrum, ex mariti facultatibus proveniens, & ea conditione uxori delatum, si ad secunda Vota non transeat.

Major difficultas est de Poenis secundi generis; nam quamvis infamiæ poenam Jure Canonico sublatam facile omnes concedant ob clarum textum *c. super illa 4. & c. fin. b. tit.* reliquas tamen hodie dum integras persistere, contendunt Cynus in *l. 1. fin. C. b. tit.* Bald. *ibid. n. 7. Scipio Gentilis de Secund. nupt. c. 18. Mancin. l. 2. Genial. c. 140. Oliva for. Eccl. p. 1. q. 42. n. 10. & 33. Barbol. in addit. ad c. fin. cit. n. 5.*

Moventur 1. quia dictæ Leges, & c. proditæ ijs poenæ omnes consentaneæ sunt Decretis Conciliorum Neocæsarensis & c. relati can.

Rrr

de

de his 8. caus. 31. q. 1. & Leodiensis can. 1. iu-
bentium imponi poenitentiam iteratò nubenti-
bus. 2. Eadem poenae consonae sunt ratio-
ni naturali, honestati publicae, & consilio
Apostolico; rationi quidem; quia tendunt
ad impediendam turbationem, & confusio-
nem sanguinis, patrisque incertitudinem: ho-
nestati; quia festinate nuptiae mulierem ar-
guunt de incontinentia, & de oblivione, ir-
reverentia, & ingratitude erga priorem ma-
ritum: Consilio Apostoli denique; quia hic vi-
ditatem aperte suadet, cum 1. Corinth. 7.
v. 40. de Vidua, Beatior, inquit, est, si sic
(in viduitate) permanferit secundum consilium
meum: ad quod consilium amplectendum Jus
Civile his poenis inducit proponendo spem
Iucrorum in praemium continentiae. 3. Quia
Constitutiones c. super illa, & c. fin. cit. sunt
correctoriae Juris Civilis. Igitur extendi, etiam
ob identitatem rationis, ad non expressa non
debent: extenderentur autem, si non solum
infamia, sed etiam caeterae poenae binubenti-
bus per Juris Canonici dispositionem remissae
essent; nam in textibus cit. solum infamiae,
non verò caeterarum poenarum, per Leges
Civiles lazarum, mentio fit.

62 Sed his non obstantibus, dicendum,
cum infamia caeteras etiam poenas c. super illa,
& c. fin. cit. sublatas esse. Ita Gloss. in l. 1.
V. honorarias C. h. tit. Innoc. in c. fin. cit. n. 11.
Joan. Andr. ibid. n. 5. Abb. n. 3. Ancharan.
n. 9. Brunel. de sponsal. concl. 19. n. 6. Co-
var. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 9. n. 5. Clar. V.
Stipum n. 6. Sanch. l. 7. de Matr. D. 87. n.
23. Guier. de Matr. c. 108. n. 2. Gail. l. 2.
c. 98. n. 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n.
10. concl. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 13. §. 2.
n. 10. Canil. in c. fin. cit. n. 2. v. quod igitur.
Barbof. ibid. n. 2. Gonzal. n. 9. Wagnareck in
Exeges. Valens. hic n. 2. Zoel. n. 2. Honor.
n. 4. Engly. sunt verò, Pirhing n. 8. König n.
7. 8. porro, Wiestner n. 45. Reffentuel n.
45. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 4. n.
450. & alij apud istos magno numero.

63 Suadetur 1. quia ratio principalis di-
spositionis c. cit. fuit, quia cum secundae
Nuptiae propter Apostoli permissionem, &
Ecclesiae approbationem vacent culpae, &
Matrimonia debeant esse libera, cessare debet
etiam poena infamiae, quae istorum libertas
impediretur. Atqui haec ratio non tantum
probat de infamia, sed etiam de alijs poenis,
Ergo etiam istae dispositione c. cit. compre-
hensae, & sublatae censeri debent. 2. Quia
transitus ad secundas nuptias mulieribus vi-
duis saepe utilis est ad vitanda gravia peccata,
& pericula animarum suarum. Igitur merito
Ecclesia per c. cit. sustulit impedimenta ejus-
dem, ut ita fieret expeditior. Atqui tale im-
pedimentum non tantum est infamia, sed
etiam aliae poenae. Ergo & ipsae sublatae cen-
seri debent. 3. Quia in Materia Matrimo-
nij, ut quae post elevationem ejusdem ad
dignitatem Sacramenti Spiritualis est, Eccle-

sia potius, quam Imperialium Constitutio-
num dispositio est attendenda, per textum, &
Gloss. c. fin. ibi, in his praesertim &c. igitur cum
hoc Jure Ecclesiae licitae sint secundae nup-
tiae etiam intra annum luctus, cessare cum
infamia debent etiam poenae reliquae, illa-
rum odio à Legibus constitutae.

Procedit autem hoc non tantum quo-
64 ad forum Ecclesiasticum, ut vult Cynus in
l. 1. q. ult. C. h. tit. sed etiam quoad Sa-
culare; nam in utroque foro poenae istae sub-
latae sunt, ut rectè Gloss. in c. fin. cit. V. Le-
galis, Joan. Andr. ibid. n. 5. Alex. de Nevo
n. 12. Sued. de aliment. tit. 7. q. 22. n. 15.
Sanch. D. 87. n. 27. Gutier. c. 108. n. 8. Pa-
lao §. 2. n. 11. & alij apud istos, Constat
1. ex c. fin. cit. ibi, Non debet legalis in-
famae sustinere iacturam. Ergo vidua illa nec
quoad forum Civile erit infamis; nam alias
non esset sine iactura. 2. In eodem
c. fin. dicitur, quod in his praesertim Saeculares
Leges non dedignentur sacros Canones imitari,
Atqui non imitentur, si uxor binubain fo-
ro Civili esset infamis. 3. c. cit. voluit
Pontifex esse liberam facultatem contrahen-
di secundas nuptias etiam intra annum lu-
ctus. Atqui si poenae Legales observandae es-
sent in foro saeculari, non daretur omnimoda
libertas; nam à contrahendo Matrimonio se-
cundo vidua merito abstereretur metu Le-
galis infamiae, & poenarum caeterarum.

Argumenta opposita non difficilem 65
solutionem habent. Ad 1. allegata
Concilia poenitentiam decernunt binubenti-
bus, non quod secundae nuptiae licitae sint,
sed quod iudicium, & justam suspicionem
praebent nimiae intemperantiae, concupi-
scentiae, & aliorum non levium peccato-
rum antecedentium, ut in can. de his cit.
notat Barbof. n. 4. Gonzal. in c. fin. cit. n.
43. Wiest, hic n. 45. Ad 2. Etò,
quod Leges Civiles ex fine suo honestae
sint, quia tamen sunt impeditivae Matrimonij
per se liciti, & sic non raro occasione for-
nicationis mulieribus praebent, merito illas
Ecclesia sustulit. Ad 3. Imprimis multorum
doctrina est, Lege correctoria comprehen-
di casus etiam specificè non expressos,
quando ratio expressa in Lege etiam pro istis
causat. Deinde cit. Dispositionibus satis
comprehenduntur poenae reliquae, dum ipsadem
libera facultas ad Vota secundae transeundi
conceditur, & jam antè concessa poenarum,
quibus ea libertas restringebatur, remotione
confirmatur.

Quaeritur 3. utrum poenae, conjugii 66
transcunti ad secundas nuptias statuae, lo-
cum habeant in Vidua fornicante? Satis liquet,
de Jure Civili has poenas incurere, illas
quidem, quae in odium secundarum nuptia-
rum, intra annum luctus initarum, statuae
sunt, si fornicetur intra tempus luctus, ce-
teras verò, quae inductae sunt favore tutorum, si
post

De Secundis Nuptijs.

post illud tempus fornicetur, propter textum expressum *Novell. 39. c. 2. §. 1. non enim, ut ibi subditur, aliquid amplius habebit castitate luxuria.* Similiter convenit inter DD. poenas istas, quatenus Viduam fornicantem afficiunt, non esse per Jus Canonicum correctas; tum quia non est rationi consonum, ut SS. Canones viduis delinquentibus faveant; tum verò quia *c. fin. h. tit. poenarum corriguntur, ne illis secundæ nuptiæ, quæ licitæ sunt, impedirentur, quod in fornicatione, quæ omni Jure illicita est, non procedit. Sanch. l. 7. de Matr. D. 90. n. 1. Gutier. de Matr. c. 110. n. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 13. §. 6. n. 1.*

Dub. 1. an prædictæ poenæ locum habeant in foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam, ita, ut vidua, quæ intra annum luctus fornicata est, nullâ expectatâ sententiâ, teneatur restituere, quidquid à marito liberali titulo accepit? *Ratio dubitandi est quia Novell. cit. vidua sic delinquens afficitur iisdem poenis, quibus Jure Civili afficienda erat, si nuberet, atqui si intra annum luctus nuberet, ipso Jure amittit Jure Civili omnia Legata à priori viro, eaque ejusdem hæredibus applicantur, ut dictum est n. 53. & satis clarè constat ex l. si mulier 1. C. h. tit. ergo idem dicendum est, si fornicationem committat; aliâ plus haberet luxuria, quàm Castitas contra rationem *Novell. cit.**

Sed probabilius Vidua qui delinquens non est obligata hæredibus mariti restituere, quod ab ipso acceperat, aut constante Matrimonio, acquiserat, quousque criminis accedat declaratio. Ita *Sanch. l. 7. de Matr. D. 90. n. 11. Gutier. c. 110. cit. n. 7. Palao p. 13. §. 6. n. 6.* Ratio est, quia esto, ipso Jure privetur bonis prædictis, cum tamen regulare sit, ad poenam extra Censuras, & Irregularitates ante criminis declarationem neminem obligari, hinc, ut ita delinquens restituere teneatur, opus erit sententiâ declaratoriâ criminis.

Ex quo patet responsio ad Argumentum contrarium; nam intra annum luctus Matrimonium secundum contrahens expectare non potest sententiam declaratoriam, cum non commiserit crimen, quod declaratur. Neque inde fit, plus tribui luxuriæ, quàm Castitati, si quidem id, quod secundis nuptijs per Jus Civile amittendum erat, etiam amittitur fornicatione, tamen si modus amittendi diversus sit, eo quod Nuptiæ etiam festinatæ non sint delictum, ac proinde amissio ob illas propriè poena non fit; fit autem delictum fornicatio, & conf. amissio ob illam propriè dicta poena.

Dub. 2. an poena hæc locum habeat etiam in viduo fornicante? Negat *Gutier. de Matr. c. 110. n. 23.* eò quod in patre non procedat eadem ratio, quæ in matre; nam mater ob ejus levitatem, impruden-

tiam, ac judicij defectum æquè redditur suspecta filijs prioris Matrimonij fornicando, quàm nubendo. at pater, utpote prudentior, ac judicio constantior luxuriosè vivendo filijs suspectus non redditur: & propterea fortè luxuriosè viventi mulieri, tanquam prodigæ, interdicitur bonorum administratio, quæ tamen viro luxuriosè viventi non interdicitur.

Sed etsi sententia ista sit valde probabilis, probabilius tamen videtur, etiam virum luxuriosum privari proprietate bonorum, titulo lucrativo acceptorum ab uxore defuncta. Ita alijs *citt. Palao tr. 28. D. 4. p. 13. §. 6. n. 9.* Rationem dat, quia hæc reservatio bonorum sancita est in satisfactionem injuriæ, quæ per secundas nuptias tum conjugii defuncto, tum illius filijs irrogatur, at hæc injuria gravior fit fornicatione, sive illa commissa sit à femina, sive à viro, ergo æquum est, ut maritus post mortem uxoris fornicans eadem poena mulceretur, locumque habeat *Novell. cit.* ne luxuriæ plus tribuatur, quàm Castitati.

Quæritur 4. an licita, & valida, conf. observanda sit conditio, qua conjux conjugii ita legat; *Lego tibi mille, si non amplius nubas?* quævis talis conditio habeatur pro non adjecta, si adijciatur hæredi, vel legatario, qui nunquam adhuc nupsit *l. quoties 22. & l. cum tale 72. §. Mevie 5. ff. de condit. & demonstr. tamen respectu Viduæ licita, & valida, conf. observanda est, ita, ut si Legatum habere velit, cautionem præstare debeat, quod illa una cum fructibus iterum restituere velit, casu, quo ad alias nuptias transeat, *Sanch. l. 7. de Matr. D. 91. n. 16. Gutier. de Matr. c. 111. n. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 13. §. 2. n. 14. Canif. in c. fin. h. tit. n. 6. Gonzal. ibid. n. 9. Valens. hic n. 3. §. quarto, Engl. ibid. §. istud adhuc, Reiffenst. n. 49. & patet ex *Novell. 22. c. 43. & seqq. l. ubi etiam correctum est Jus Civile antiquum l. ambiguitates 2. C. de indict. Viduit.* vi cujus hujusmodi conditio habebatur pro non adjecta; sunt enim secundæ nuptiæ propter honorem, & amorem prioris conjugis, & liberorum conservandum minus favorabiles, quàm primæ, & deo facilius eorum impedimentum conceditur.**

Neque *Novella cit.* per Jus Canonicum correctæ videtur, præsertim cum in potestate viri positum sit legare aliquid uxori, vel non; conf. legare potest etiam sub conditione honesta, & per quam libertas nubendi non absolute sed tantum sub conditione, si lucro, & favore aliâ frui velit, adimitur, *Reiffenst. n. 49. cit. Conf.* quia per SS. Canones illæ duntaxat Leges corriguntur, quæ absolute omnibus mulieribus intra annum luctus nuptias prohibent, testator autem hoc casu non absolute, sed tantum sub conditione, si conjux superstes lucro gaudere, velit nuptias prohibet, ergo &c.

FINIS LIBRI IV. Decretalium.

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

*